

1.40.5

*Impp. Valentinianus et Valens AA. ad Apronianum pu.*

Potioris gradus iudicibus ab inferioribus competens reverentia tribuatur, sed ubi publica tractatur utilitas, etsi minor iudex veritatem investigaverit, nulla maiori inrogatur iniuria. sane qui insignia dignitatis ad hoc exercet, ut indignis iniuriis existimet adficiendos eos, qui officia cum potestate moderantur, non declinabit nostrae indignationis aculeos.

*D. V k. Iun. Ancyro divo Ioviano et Varroniano consss.*

[a. 364]

1.40.6

*Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Cynegio pp.*

Civitas Rhodiorum iniuriam suam non tam decenter quam sero conquesta est. unde inviolabili observatione sancimus, ut, quoniam tempore hiemis navigatio saepe periculosa est semper incerta, in illis quinque urbibus, quae potiores esse ceteris adseruntur, vicissim hiemandum sibi iudices recognoscant, quod si cuiquam tale existat ingenium, ut praecepta nostra contemnat, quinquaginta ab eo argenti librae, centum ab eius officio, si aliter factum fuerit, fisci viribus inferantur.

*D. V id. Dec. Constantinopoli Arcadio et Bautone consss.*

[a. 385]

1.40.7

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Cynegio pp.*

Qui ordinariam gesserit dignitatem, quidquid ex venturae delegationis titulis profligaverit, cum dispendio pudoris atque fortunae de propriis facultatibus intra provinciam positus inferre debebit.

*D. VII k. Iun. Constantinopoli Honorio np. et Euodio consss.*

[a. 386]